

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

IX. De via mirabili electorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

IX. DE VIA MIRABILI ELECTORUM.

ELECTOS suos Dominus in via mirabili deducens *edocet eos et dirigit ne offendant*. Hæc est via mirabilis et sancta, ut crucietur homo sine crimine, et sine piaculo puniatur; ipsa est in qua Dei Filius innocens pertransivit. In hac exultat Deum sitiens anima, gaudens in Deo qui, propter sua beneficia, multa pertulit supplicia. Pater cœlestis Unigenitum suum a gentibus percuti et a Judæis crucifigi constituit; nunc vero, quidam pietatis speciem habentes, et religiositate gloriantes, filios Dei affligunt in corpore et cruciant in mente, ut *complantati similitudini mortis ejus*, conformes sint Filio ejus, qui mentis et corporis sustinuit cruciatus.

I. 25.

Hæc est mirabilis et excellentior via, in qua fidelis currit anima ducens post se sensus corporeos, quemadmodum videns ducit cæcum. In hac via liberatur anima vivens sine [cordis] molestia, nil cupiens præter id quod ille vult, cujus voluntas, bonitas et opus est benignitas.

I. 26.

DE TRIBUS QUÆ HOMINEM HABILITANT AD BENE AMBULANDUM.

TRIA sunt quæ hominem habilitant ut cognoscere et in hac via digne valeat ambulare. Primo, si homo *simpli- citer et ex toto*, absque omni humano magistério, se in Dei luce et veritate contineat, gratiamque ejus in sanctitate custodiat, et voluntaria patientia portet, abstrahens sensum ab omnibus creaturis [secundum humanam voluntatem]. Secundum in via retinet, quod homo cuncta quæ veniunt gratanter excipiat præter solum peccatum; *quia nihil fit sine causa et providentia Dei super terram*. Tertio, hominem perficit in hac via, ut omnia a laude Dei incipientur et terminentur. Ego minima quæ in me reperio bona coram Deo sic existimo, ac si altissimæ contemplationi insisterem, qua homo in hac vita poterit sublimari. Nam si æquali charitate ad gloriam

I. 27.

Dei id facio, æquali merito et præmio exultabo ; cum vero peccando delinquo, in hac via non consisto.

X. QUALITER SE HOMO HABERE DEBEAT IN AGENDIS.

VI. 12.

CUM oras, humiliare ; cum confiteris, veritatem loquere ; cum satisfacis, diligens esto ; cum manducas, sobrius sis et frugalis ; cum dormis, disciplinatus sis ; cum solus fueris, esto fidelis ; cum cum aliis fueris, prudentiam conserva ; cum de bonis moribus instrueris, consentiens esto et obedi ; cum de pravitate reprehenderis, patientiam exhibe, et desiste ; cum feceris quod justum et bonum est, inutilem te reputa ; cum a recto deviaveris, veniam pete ; cum levis et dissolutus fueris, time ; cum turbaris, spem in Deo pone ; cum laboras manibus, festina, ut cogitationes inutiles valeas evitare.

DE IMPEDIMENTIS RELIGIONIS.

V. 33.

PERFECTIONEM Religiosorum valde diminuit incuria et æstimatione modica venialium peccatorum. Fateor quod cum vel levi risu aliis innocuo vel rancore cordis modico licet occulto, aut proprii incommodi impatientia levi inficior, obtunditur mox mens mea et obscuratur, et cor refrigescit, donec [in lacrymas et gemitus erumpam, et] exul et misera, amabili prece et desiderio valido cum humilitate meum vitium recognoscam ; tunc recuperata gratia valeo, [tamquam canis e coquina fuste pulsus redire, et] *in pulvere Dei clementia respirare*. Cumque vitium incognitum et incorrectum affuerit, infernalem maculam in anima mea pingit ; [sic quid consilii capiam, non habeo ;] *ejusque auctor* in me imaginem dæmon, [qui ignem purgatorium curat, in quo peccata consumenda sunt,] respicit ; mihi que horrorem ingerit, cum sola fuero, quia hujus expertis miseriæ sum facta, [cum dona, quæ vocantur conscius amor, reciperem.] Moxigitur ad pedes ejus procido, *et ante eum medullitus ploro* dicens :